

negat, quod potest comparari effective respectu actus eliciendi, licet non respectu subjecti formaliter, sicut habitus informans potentiam habet se formaliter respectu subjecti, effective autem respectu actus. In quæstione autem cx, negat D. Thomas auxilium divinum esse qualitatem quantum ad permanentiam, seu modum, datur enim per modum transeuntis, non per modum habitus permanentis, sed tamen quoad entitatem non negat esse qualitatem; neque enim ad aliud prædicamentum reduci potest, quia non est actio, si quidem non identificatur cum affectu tamquam cum termino ad quem, sed est quædam impressio quæ ponitur in ipsa causa, ut reducat ad agendum: et ita D. Thomas dicit ibi auxilium divinum contra donum habituale gratiæ, et sic solum sentit non esse qualitatem tamquam donum habituale: quod vero sit qualitas, quæ non sit habitus, ibi non negat: expresse autem vocat illam qualitatem per modum transeuntis in quæstione iii de potentia, art. vii ad septimum.

XXI. Ad illam consequentiam, quod gratia operans est motus, seu actus moventis in moto, ergo est actus ipsius intellectus, negatur consequentia, loquendo de actu elicitio, quia motus in mobili potest esse, vel receptus, ut quando est actus immanens qui recipitur in ipso eliciente. Dico ergo, quod qualitas illa per modum transeuntis est motus tantum receptus in intellectu, et voluntate, quia est impressus a Deo, datur tamen ad hoc ut potentia eliciat actum indeliberatum in vi talis motionis, non autem dicit D. Thomas, quod est motus elicitus, sed sufficit intelligere quod sit motus receptus, et impressus a Deo: non autem est necesse quod sit motus vitalis formaliter, id est, proce-

dens a potentia vitali, sed datus a Deo per modum transeuntis, ut eliciatur actus vitalis.

XXII. Insiabis secundo: Non potest intelligi quod sit aliqua qualitas transiens in intellectu, nisi vel per modum actus secundi, vel per modum actus primi: si est per modum actus secundi non est aliud quam intellectio: si per modum actus primi, cum sit actus primus creatus indigebit alia applicatione, seu qualitate, et sic erit processus in infinitum, aut si non indiget, cum tamen sit virtus creata, nec similiter indigebit ipse intellectus, vel voluntas. Item si ipsa qualitas est necessaria ad illum priorem actum indeliberatum, etiam erit necessaria ad actus malos, et indifferentes, et ad actiones agentis inanimati, et universaliter ad omnem causam secundam pro quacumque operatione; ergo dicitur Deus operari in nobis sine nobis, et excitare nos ad actum peccati, saltem pro materiali, quod nullo modo potest admitti, alias inciperet Deus in nobis id quod pertinet ad operandum peccatum, excitando, et movendo ad illud. Præterea, in intellectu, quando primo excitatur, et vocatur a Deo, non requiritur alia qualitas, quam repræsentatio objecti convenientis, qua repræsentatione dicitur illuminari, et illustrari intellectus, sed repræsentatio non fit per qualitatem fluentem, sed per species impressas, quæ solum sunt repræsentativæ objecti; ergo non consistit illa excitatio, et illustratio intellectus in qualitate transeuntis. Denique, ista qualitas tollit libertatem, si quidem illa posita non potest non operari, seu non consentire voluntas, aut si potest resistere, non sufficienter determinat ad actum. Quod argumentum potius militat contra qualitatem, seu auxilium gratiæ cooperantis, de quo dicam articulo sequenti.

XXIII. Ad primam instantiam respondetur illud argumentum in terminis esse positum a D. Thoma in quæstione iii de potentia, art. vii, argumento vii, et summa resolutionis ejus est, quod illa vis, seu motio a Deo superaddita agenti non est per modum formæ habitualis, et completæ, quæ iterum indigeat alia applicatione causæ primæ, sed est ipsamet applicatio qua causa secunda constituitur non in actu primo per modum virtutis, nec in ipso actu secundo per modum operationis, sed in transitu, et applicatione actus primi potentialis ad actum secundum, quia cum actus secundus excedat primum in actualitate, et egrediatur secundus a primo, indiget majori actualitate, seu applicatione, qua reducat illa potentialitas actus primi ad actuale exercitium in individuo, et singulari ad quod habet indifferentiam, et indeterminationem, et ad hoc datur illa motio, non ad augendam virtutem si jam supponatur sufficiens, sed ad exercendam determinationem operationis, et ideo non datur per modum virtutis, seu actus primi permanentis, sed ut movens, et applicans ad actum secundum qui est operatio, et ideo datur per modum transeuntis, non quod sit actus secundus elicitus, sed quod imprimatur causæ ad eliciendum.

XXIV. Ad secundam instantiam dicitur, istam qualitatem operativam esse necessariam ad omnem actum reducibilem in Deum, et participabilem ab ipso, non defectibilem ab ipso, et ideo Deus non concurret ad peccatum, bene tamen ad id quod entitatis est in peccato. Concurrat autem influxu physico, et entitativo, quia existentia illius entitatis dependet a Deo, et consequenter ipsa causa secunda ut operativa est talis entitatis sub ratione entitatis a Deo præmoveri

debet, sicut omnes aliæ causæ in quantum operativæ sunt, licet non in quantum defectibiles: sicut motus claudicans quantum ad rationem motus est ab anima, non sub ratione claudicationis, et defectus. Cæterum nullo modo concurret Deus motione morali, et per modum excitationis, et vocationis ad istam entitatem peccati, quia excitatio, et persuasio fit mediante propositione objecti, ut allicientis voluntatem, objectum autem allicientis non potest præscindere a malitia, quia in hoc ipso consistit malitia persuasionis, et motionis moralis quod proponatur aliquod bonum delectabile, quod in se habet annexam malitiam, et ideo qui concurret proponendo objectum, non concurret alio modo quam ipsum objectum alliciens, et sic non potest præscindere a malitia, sicut neque ipsum objectum præscindit; quando ergo aliquis excitatur, vel incitatur ad peccatum, non concurret Deus excitando, sicut per gratiam excitantem ad bonum: ad ipsam tamen entitatem excitationis quæ fit per aliquem actum intellectus, concurret Deus ut causa universalis, quia entitas est quid transcendens, et sub ratione entitatis concurret Deus ad omne illud quod entitatem habet, sive in peccato, sive in excitatione ad peccatum.

XXV. Ad tertiam instantiam dicitur, quod in excitatione, et vocatione et disponuntur species ad repræsentandum actualiter, et in exercitio, et applicatur potentia ut cum talibus speciebus eliciat apprehensionem, seu iudicium de convenientia objecti, si quidem ad eliciendam cognitionem utrumque requiritur, scilicet concursus speciei, et potentiæ: licet autem ipsæ species habitualiter, et permanentes sint in potentia, tamen actualis repræsentatio, et exercitium earum, et simi-

liter applicatio potentiae non nisi per modum transeuntis datur, quamdiu scilicet durat ipsa cognitio, et ideo ad hoc necessaria est motio per modum transeuntis.

Ad ultimam respondebitur tractando de gratia cooperante, et gratia efficaci.

ARTICULUS II.

Quid sit gratia cooperans, et adjuvans, in gratia actuali?

I. Omitto etiam hic gratiam cooperantem ut pertinet ad gratiam habitualement, quia sic non est aliud, quam ipsa gratia habitualis ut est principium operandi activum, sed loquimur de gratia cooperante ut pertinet ad lineam gratiae actualis, sicut locuti sumus de operante articulo praecedenti.

II. In hac re multipliciter divisi sunt auctores. Quidam putant gratiam cooperantem, et operantem eandem esse, solum diverso modo consideratam, nam quatenus antecedit nostrum consensum, est praeveniens et operans, quatenus vero in nobis permanens efficit consensum liberum dicitur cooperans et concomitans, nam ita consensus noster est a Deo, quod non solum influit ut causa physica, sed etiam ut causa moralis media cogitatione, et modo quo intellectus allicit voluntatem, et per hanc cogitationem quatenus tendit in consensum Deus cooperatur nobiscum, et sic habet rationem distincti beneficii, et novae gratiae, ut respicit novum effectum qui est consensus, sed non est distincta entitas auxilii. Ita Vazquez in hac prima secundae, disp. CLXXXV, cap. IX. Quae sententia etiam solet attribui Molinae in concordia, quaest. XIV, articulo III, praesertim a disputatione XXXVI. Sed tamen Molina disp.

XL, adhuc latiori significatione sumit gratiam operantem, et cooperantem, ut vidimus articulo praecedenti. Sumit enim istam divisionem gratiae per ordinem ad meritum, id est, quod gratia illa sit operans quae antecedit illum actum meritorium, cooperans vero quae ad meritorium actum concurrat, et sequitur post justificationem. Et ex parte consentit huic sententiae Molinae Suarez libro III de auxiliis, cap. V, num IX, ubi inquit, quod aliqui actus specialiter tribuuntur gratiae operanti, alii cooperanti, quia illi qui antecedunt infusionem habitus gratiae, et ad illam disponunt, dicuntur esse a gratia operante, qui vero eliciuntur ab ipsis habitibus dicuntur esse a gratia cooperante, quia magis reluctet gratia operans quando aliquis non habet habitum, et exponitur ad illum; e contra vero magis reluctet gratia cooperans quando in infuso habitu influit in actus.

III. Secundo Bellarminus in libro primo de gratia et libero arbitrio, cap. XIV, quem sequitur Valentia 1-2, disp. VIII, q. III, puncto V, dixerunt auxilium cooperans esse auxilium speciale respectu illorum actuum qui sequuntur post primum, nam primum actum dicunt pertinere ad gratiam operantem, qua aliquis non se movet, sed movetur a Deo, ad gratiam vero cooperantem pertinet quod voluntas etiam moveat: distinguunt tamen inter movere physice et moraliter, et dicunt Deum non esse causam moventem physice sine nobis, atque adeo in motione physica voluntatis cooperantem gratiam inveniri, esse tamen Deum causam moralem, allicientem, et suadentem sine voluntate, quia voluntas, et si libere eliciat actum, non tamen moraliter se movet ad illum, quia non sibi persuadet, nec allicit, sed ab objecto allicitur, et sic ad primum actum

datur gratia operans, quia in primo actu voluntas non se allicit, nec impellit, postquam vero attracta est ab objecto, ipsa se incitat ad reliquos actus.

IV. Tertio, Suarez libro III de auxiliis, cap. IV, non audet definire difficultatem, sed probabiles iudicat quatuor modos dicendi, scilicet quod gratia adjuvans sit habitus qui infunditur ad actus supernaturales: vel secundo, quod sit qualitas supplens vicem habitus dummodo determinet potentiam ad exercitium actus, sed non ad speciem, et sic est habitus quasi in fieri: vel tertio, quod sit eadem gratia excitans et adjuvans, sed ut moraliter movet est gratia excitans, ut autem physice cooperatur cum libero arbitrio, dicitur adjuvans: vel quarto, quod gratia adjuvans est ipse Deus sua efficacitate, et voluntate supplens efficaciam habitus: vel ut aliqui dicunt, gratia cooperans est ipse consensus liber, prout pendens a Deo, quod sentit Montesinos hic disp. XXXI, quaest. II, §. VI, in principio. Advertit autem Suarez citato loco, cap. V, num. III et VIII, gratiam excitantem, et adjuvantem coincidere cum operante, et cooperante.

V. Omnes istae sententiae in hoc conveniunt, quod distinguunt gratiam operantem, et cooperantem in ratione auxilii moralis, in quo genere Deus dicitur gratiam operantem tribuere, quando se solo movet moraliter mediante propositione objecti interius facta, alliciente et retrahendo voluntatem; tribuit autem gratiam cooperantem quando viam parat ad ea, ad quae moraliter movet, et executioni mandentur, dando facultatem et vires, aut etiam concursum physicum generalem in actum, qui etiam adjuvat, et cooperatur: nam in genere physico solum consensum concomitantem, et

in ipsum actum influentem agnoscunt, ratione cuius, quia iste concursus identificatur cum actu, dicunt aliqui ex istis auctoribus auxilium cooperans esse ipsum actum liberum.

VI. Ex his autem, qui hanc divisionem in gratiam operantem, et cooperantem, etiam ex parte physicae motionis, et auxilii admittunt, est duplex etiam sententia. Prima eorum, qui sentiunt gratiam cooperantem nihil aliud esse, quam ipsum motum subitum, et indeliberatum, mediante quo Deus movet voluntatem ad consensum liberum, ita Curiel hic tractatu de gratia actuali, dub. II, §. VI, et sequitur Gonzalez I part. disp. LVIII, ses. III. Secunda sententia est eorum qui putant gratiam cooperantem esse distinctam motionem, seu qualitatem, quae post gratiam operantem, et excitantem determinat ex parte Dei ad consensum liberum, non quoad specificationem, sed quoad exercitium semper supponitur aliqua virtus, quae pertinet ad auxilium sufficiens; illi vero motus indeliberati concurrunt ex parte causae creatae, non autem se habent ut concursus Dei causae universalissimae, ita Thomistae communius. Denique Lorca hic disp. XVIII, existimat gratiam adjuvantem non esse unicum donum, sed coalescere ex pluribus. Primo enim consistit in aliquo habitu, vel qualitate supplente vicem habitus, qua adjuvatur potentiarum infirmitas: secundo, in cogitatione congrua, multum enim nos adjuvat ipsa moralis motio objecti: tertio, in externa protectione Dei tollente impedimenta, et tentationes, et conferente incitamenta ad bonum: quarto, in concursu generali concomitante, et influente in ipsam operationem.

VII. Supponimus pro resolutione